

Q. F. F. Q. V. E. S. S. T. 14.
PHILOSOPHIA
FABULARIS

NEC NON

POETARUM VINDICIÆ,

Quas

Permissu Ampliss. Facult. Philosoph.

In celebri, magni Ducatus Finlandiæ,
ad Auram, Academiâ,

PRÆSIDE,

Admodum Reverendo & Praclarissimo,

M. TORSTANO RUDEEN,

Poësis Prof. Publico,

Decenti modestia, candidorum
examine committit

Autor ac Respondens

GABRIEL J. HARRERMAN

Austro-Finno,

Loco horisq, ante merid. solitis

Ad diem 17 Februarii Anno M.DCC.

Exc. apud J. WALLIUM.

SACRÆ RE
Magnæ spectat

Reverendiss. in CHRISTO Patri ac Domino

D_{N.} J O H A N N I
G E Z E L I O,

S. S. Theologiæ DOCTORI Consummatissimo, Diœces. Aboensis EPISCOPO
Famigeratissimo PRO-CANCELARIO
ac Consist. Eccl. ibid. PRÆSIDI gravissimo,
Promotori meo maximo.

FELICITATEM SE

Aetonus miror, que nunc audacia cepit
Me, Macenates, dico sed ætonus:
Cartis indoctis præfixi Nomina Cella,
Ut placeat factum, supplice voce roga.
Castalidum Antistes, Clerique gravissime Rector,
Es meritis summo semper honore coli.
Et spectate armis, Heros fortissime, Klingspor,
Tu decus ES nostri gloria magna poli
Si memorare velim, vobis encomia digna,
Essent videntum verba parata mihi:
Actum agis, ES Soli t'ntas affundere lumen:
Prædicat, en, istos Finnia tota Viros.

GIÆ MAJESTATIS

tæque Fidei VIRIS

Generosissimo Nobilissimoqve Domino

D_N. ADOLPHO MAGNO

R E J N S E P O R /

DOMINO in Bellstad & Ultarp / &c.

Legionis Equestris Nylandorum

TRIBUNI LOCUM TENENTI Stren-

nuissimo, Literarũ æstimatori incom-
parabili, Patrono meo summo.

RAMQVE SENECTAM!

Ad Vestras igitur laudes nequeo addere ver-
bum,

Ne fusca nubes astra corusca tegant.

Patroni summi, submissâ mente colendi,

Sitis luçtanti, vita salusque mihi

Si minimus, tanto dignus reputarer honore,

Rebus in adversis, anè, ego, tutus ero.

Rever. Dn. in CHRISTO Patris,

Generosissimiq; Dn. Herois

cliens humilimus

Gabriel Haartman

VIRIS

*Perquam Reverendis atque Doctissimis,
Venerando & Humanissimo,*

DN. GABRIELI Gottleben/

Pastori in Tammela meritissimo, Avunculo ut natu maximo, ita optimo.

DN. ABRAHAMO AGRICOLÆ,

Pastori in Ussela dignissimo, Benefactori honoratissimo.

DN. SALOMONI ALANO,

Pastori in Sund laudatissimo, Nutritio propensissimo.

DN. GREGORIO Gottleben/

Pastori in Pyhäma vigilantissimo, Avunculo & olim Præceptori meo, optimè de merito.

DN. GREGORIO ARCTOPOLITANO

Pastori Arcis Aboensis accuratissimo, Cognato atque Fautori perquam honorando.

DN. JOHANNI Gottleben/

Sacellano in Nerpis fidelissimo, Avunculo & quondam Præcept. laudatiss.

Evergetis, Consanguineis & Fautorb. obsequioso cultu prosequendis, has studiorum primitias, in grati animi tesseram offert

Autor & Respondens.

Ad doctissimum

DN. GABRIELEM Haartman/
Civem Academiæ hujus constantem &
percommodum, dum in materiâ ele-
ganti de Philosophia fabulari
disputaret,

Dic mihi cur veterum, non ausa est turba
sophorum,
Utraq; cui naris patula, munda satis,
Dicere quid Deus, aut quis cultus Numine
dignus,

Aut quibus imperiis turba regenda foret,
Legibus aut queis hæc nobis natura feratur:
Fabula sed norma est: omnia larva tegit.
Incubat & dulci, semper nox frigida vero
Et quo te versas, eruis inde parum.
Crede mihi res solliciti est completa timoris
Vera loqui vulgo: nil amat ille minus.
Causæ adhuc variæ: porro HAARTMAN, mente
sagaci,

Quænam sit propior, vidit, & ille docet.

CHRISTIERN ALANDER,
h. a. Rector.

In Dissertationem eruditam
de Sapia Fabulari

Literatissimi, Humanissimique,

DN. GABRIELIS Haartman/
Amici sincere dilecti,

Martis in inculta ruspans stetit Ales a-
renâ,

Gemmaque sub trifido profilit, ecce, pede.

Ille, rudis gleba gazam miratus, adunca

Fertur in his similes rostra acuisse fonosa

Pulcra suis etiam Nature hec Gnata sub antris,

Absqve hoc ungue foret, delituisset iners.

* * *

Demite, qui Vatum vultis penetrare recessus

Luce suâ nitidis demite vela Viris.

Gratulabundus fabulab.

TO RST: RUDEEN.

LE

LECTURO BENEVOLO.



Ixit non nemo, esse genus ho-
minum qui se putant omnia
scire, qui tamen sunt soli,
nescientes omnia: Quod ef-
fatum nos de Poëtarum in-
doctis non minus quam ini-

quis censoribus intellectum volumus, est
enim ea communis fere sors bonorum, ut
quo excellentioribus sunt ornati donis, quo
etiam cupidiores sunt boni publici, eo sint
magis ignavorum invidæ ac cavillationibus
obnoxii: Unde nec mirum Poëtas durius à
multis esse habitos, qui quamvis tam fue-
rint felicitis ingenii & voluntatis bona, ut
eo nomine ipsis honores exhibuerint Reges,
approbarint Docti, admiratique sint boni
omnes, non tamen effugere potuerunt mali-
gnos malignorum dentes. Qui enim nihil
amare præter sua didicerunt, non possunt
virtutem non odisse, cuius sunt incapaces, cui
docebimus inferius §. VI. Hæc, fatebimur
enim, præcipue nos movit causa, ut in Poë-
stos indolem inquireremus penitius, cumq;

2
videbamus ab ejusmodi iudiciis gratis
plerumque vapulare Poëtas, in illorum vin-
diciis si quantillam poneremus operam ar-
bitrabamur aliquid illius fore pretium, cum
sic quoq; fabularum antiquarum usus cum
in naturalibus tum moralibus innotescat.
Fatemur ingenue argumenti amplitudinem
requirere harum rerum peritius ingeni-
um, facundiam majorem iudiciumque
firmitus subactiusq; Quæ omnia in nobis
desideramus, nostræ infirmitatis optimè
gnari. Interim tamen si isthanc subtili-
tatem dignè rimari non valeamus, mirari
certè licebit. Illud est quod etiam postulat
Cicero pro Arch. Poëta: Quod si, inquit,
ipsi hæc neque attingere, neque sensu
nostro gustare possemus: tamen ea
mirari deberemus, cum in aliis vide-
remus. Non ergo est ut mireris, Lector
Benevole, si singula eâ à xxi. Scia non sint
elaborata, qua par erat, præsertim in ar-
gumento hac formâ, quod sciam, vix ha-
tenuis tractato. Proinde quam sis huma-
nus, facilis & candidus L. B. nunc proba-
tum velis, & quod imprudentes commisi-
mus humaniter ignoscas.

DEO

DEO DUCE!

§. I.

Post deplorandum primi hominis lapsum, quanta caligo & cæcitas mentis, imo quanta totius naturæ humanæ corruptio, in clarissimi luminis & omnimodæ perfectionis, naturaliter quidem propagabilis, locum est introducta vix aliquis hominum est, qui non suo malo sentit: remansere tamen per immensam bonitatem divinam, velut è magno igne; scintillæ, quæ, quasi sub cinere latentes, admoto flabello excitantur, contractamque ruditatem & insipientiam, qua nec causas rerum novimus, neque modum recte operandi tenemus, nituntur pellere; hinc est naturalis sciendi cupiditas, quæ urgere non desistit, & supplere indigentiam & ad perfectionem, quantum in se est, assurgere allaborat. Hæc res movit priscos ut istas excitarent scintillas & in flammam producerent. Quæ autem ab illis inventa, ju-
 di-

4
dicata, & longo rerum usu probata ac in
memoria reposita sunt, diversis diversi
tradiderunt & enunciarunt modis, qui
singuli hac vice à nobis proferri nec
possunt nec merentur. De vehiculo au-
tem cogitationū de homine in hominem
in primis notabile est, quod Ægyptii, qui
primi artium inventores à multis putan-
tur, ante inventas literas usi sint certis
quibusdam Characteribus Realibus non
Nominalibus, qui scilicet nec literas nec
verba, sed res & notiones exprimunt,
qui Characteres dicebantur Hierogly-
phici, de quibus Tacitus in An: XI. c.
14. in hunc modum memoriæ prodi-
dit: *Primi per figuras animalium Ægyptii
sensus mentis effingebant; & antiquissima
monimenta memoria humana impressa saxi
cernuntur &c.* & vocantur ejusmodi Hie-
rocllyphici characteres, notæ rerum ex
congruo, quia semper cum re signifi-
cata aliquid similitudinis habuerunt,
fortassis propterea, quod earum nota-
rum facilis aliàs non potuisset haberi
sensus. Vehiculum cogitationum, sive

modus tradendi inventa, fabulæ quoq;
 erant, sua canitie latis venerabiles; *Credibile est*, inquit B. Lutherus in prolo-
 quio Fabularum Æsopi quod *aliæ harum
 fabularum sint perantiquæ, aliæ adhuc an-
 tiquiores*: Modus hic tradendi vel docen-
 di per fabulas, Poëtis plerumqve fuit u-
 sitatus â quibus sunt excultæ. Cum e-
 nim homines adeò indomitis agitaren-
 tur affectibus, ac bacchantium ritu suas
 sequerentur cupiditates, arte tractandi
 erant, quod optimè sub illâ fictâ narra-
 tione, de theatro orphei; Ubi singulæ
 bestia, avesque congregatæ, appetitu-
 um suorum immemores, amicè placi-
 deqve consistere ad citharæ cantum, e-
 jus suavitate captæ dicebantur, innui-
 tur; homines ab agresti & fera vita, ad
 disciplinam meliorem per modulatio-
 nem fabularum & utilium præcepto-
 rum duci; Quam ob causam Cicero in
 Orat: pro Arch. Poëta dicit: *Saxa & so-
 litudines voci respondent, bestia sæpè imma-
 nes cantu flectuntur atq; consistunt: nos insti-
 tuti rebus optimis non Poëtarum voce mo-
 veamur?*

§. II.

Siquidem opella hæc inscribitur de Philosophia Fabulosa, quæ per fabulas est proposita, necessum est in earum naturam penitus inspicere, Juxta legem Methodi à Logicis præscriptam: expendenda igitur est Fabulæ cum ὀνοματολογία tum πραγματολογία. Quantum ad prius investiganda, 1. Etymologia, descendit enim Fabula à fari, quod minus est quam loqui, ut Varronis testimonium allegat Calep. Pueri enim quum primū vocem edunt intelligibilem dicuntur fari; Loquuntur autem cum animi sui sensus exactè efferunt, unde qui non dum fari didicerunt infantes dicuntur. Quæ tamen differentia non est perpetua: Videtis ante nominatum Calep. & sic 2. quoad Homonomiam; proprie nihil aliud quam familiare colloquium denotat, ut Terent. Adolph: Act. IV. sc. 1. Lupus est in fabula, id est, in sermone nostro familiari, Plautus enim in casu simili, Lupus in sermone, dixit. 2. Fabula vulgi rumor est, ut

ut apud Horat. lib. i. Epist. XIII. *Cognomen veritas in risum, & fabula fiet.* Sed cum in vulgi sermonibus multa sint ficta, inde 3. Fabulas dicimus sermones quos vanitatis arguimus; ut fabulæ aniles, sic Ter. Heaut. Act. ii. sc. III. Clitipho respondet Syro: *Fabula.* id est, Nugæ sunt quæ dicis. Denique 4. ad fictas narrationes & poëtarum ingeniosa inventa deductum est tabularum nomen, quæ vocis acceptio nostro inservit proposito, non tamen putandum Poëtas finxisse ita, quasi nullum haberent in natura fundamentum, sic enim fuissent vanissimi: sed tantum quendam colorem atque vestitum fictum addiderunt rebus. III. Quantum ad Synonymiam; Latina quidem vix ulla reperiuntur, quæ fabulis æquipollent, Græcè *μύθοι* dicuntur, poëticas fictiones continentes, & cum fabulis æquè latè patent, Joh. Scapula in suo Lex. In *πεγαματολογία* autem pertractandæ quæstiones an sit? & quid sit? Dubiis in rebus adeo necessaria est quæstio an sit?

ut

ut prætermitti non possit, frustra enim ea de re agitur, de cuius existentia non constat: nobis autem in hoc argumento occupatis, quæstio prior ex usu non est, tanquam in re notâ & semper obvia. Quæstionem quid sit? seu fabularum descriptionem, sequenti modo nititur absolvere Pomeij Progym.

I. *Fabula est sermo falsus veritatem effingens, hoc est, falsa quidem & ficta narratio est; at sub fabuloso verborum cortice veritas semper latet aliqua, & utilis sensus.* Aristoteli dicitur σύνθεσις τῶν πραγμάτων, rerum compositio & πλείας καὶ ὅλης πράξεως μίμησις ἐκείνης τὴν μέγεθός, imitatio actionis perfectæ & totius, aliquam magnitudinem habentis. De Poëtic: c. 7. quæ tamen imitatio dramatici carminis subjectum potius constituit.

§. III.

Præmissis hisce, consequens est Fabularum investigare causas; De primo auctore nullum certum apparet vestigium in Auctoribus. Lutherus, *cenfeo,*
in-

Inquit, *Fabulas multorum hominum Docto-
rum & prudentium meditatione diversis tem-
poribus esse compositas.* Græcorum Poëtæ;
Orpheus, Homerus & Hesiodus qui an-
tiquissimi habentur, primi quidem ex-
coluerunt Fabulas, quæ ipsis Poëtis ad-
huc erant longe antiquiores, etenim tan-
quam prius creditæ & receptæ, non
tanquam excogitatæ à scriptoribus re-
feruntur, Hoc quidem extra contro-
versiam est Græcos occultam philoso-
phandi rationem ab Exteris in Patriam
adduxisse, unde à sit adducta, sententia-
rum reperiuntur divortia; Quidam Græ-
cos priusquam philosopharentur, pro-
fectos esse in Ægyptû, ut ibi à sacerdoti-
bus sapientiam haurirent, ceu Thaletem,
Pythagoram Platonem fecisse ex La-
ertio, Hesychio illust. Iuida citat Cele-
berr. B. D. J. Flacsenius in tractatu de
Philosophia in Genere p. 135. At Expe-
rientissimus D. Olaus Rudbeckius in sua
Atlantica, argumentis non contemnen-
dis conatur probare; fabulas emanasse
ab Hyperboreis, in cujus assertionis ve-

B

ri-

ritatem producit argumentum primum
 petitum à testimonio ipsius Orphei Po-
 ètæ facile antiquissimi, qui se in ultimo
 septentrione, id est in patria nostra dul-
 cissima, didicisse profiteretur, Argonaut.
 V. 39.

*Multa præterea mihi visa & cognita, dixi
 Cum peterem tenebras pallentis Tanaron orci.
 Orpheum septentrionem perlustrasse
 Argonautarum Principes luculenti sunt
 testes, qui eam ob causam Orpheum
 itineris non tam comitem quam ducem
 elegerunt, Argonaut. V. 90.*

*Nam neq; mens dare vela viris in Barbara
 Regna*

*Te sine, qui tenebras de tot mortalibus unus,
 Accessi borrentes, & quæ rudis ultima rerum
 Abdita se posuit tellus atque inde redisti.*

Alterum est, quod Sveo-Gothorum Scal-
 di arctissime conveniant cum Græco-
 rum fabulis, in quibus luculenter videbis
 à græcorum subtilibus ingentis polita,
 quæ rudiuscule à majoribus nostris sunt
 excogitata. Denique, quod Natura &
 situs septentrionis sibi vindicet originem
 tabu-

larum, quæ tales occurrunt, ut Ægyptii, vel aliarum Regionum incolæ non potuerint habere ansam cogitandi vel fingendi tales, de quibus prolixè Rudbeckius in Alanticæ parte secunda Cap. II. & seqq. Cujus sententia quâquam ob rationes allatas plausibilis sit, & se ipsam commendat, nos tñ. hac in re nostrum suspendimus judicium, libertatem aliis relinquentes statuminandi quod ipsis videtur optimum & verissimum. De causa impulsiva, quæ Poëtas moverat ut fabulas ligate consciberent, consequens esset agere, sed hoc omne inferius redabit, in expositione Causæ finalis, cum certo modo etiam conveniant. Materia fabularum sunt res quæcumque cum Naturales tum Morales & Politicæ, nec non eæ quæ ad Theologiam Naturalem pertinent, Systematicè v. si consideres, materiam constituunt fabularum systemata. Forma vel illud quod Poëtarum fabulis suum esse largitur, est rerum per figuras versicolores, id est per fictas narrationes & actiones rebus tamen

tamen congruas ingeniosa dispositio atq; tractatio. Una enim parte ablata, etiam definunt esse Poëtæ. Fabulosa fictio & carminis structura à Poëta non sunt sejungenda, nam *si quis nihil fingat, etiam si Carmina contexat, absolute Poëta non est, sed potius versificator, id est versuum constructor,* sunt verba Antonii Forti in Mili. Poëtico p. 286 Ingeniosum utique figmentum sive Imitatio, quæ vox priori est æquipolens (vide Celeber. D. Pet. Laurb. Epit. Poët. lib. i. Cap. i. p. ii.) est Poësis anima atque essenriale constitutum. Quia vero hæc imitandi facultas, ob temperamentorum diversitatem, non omnibus est concessa, dicuntur Poëtæ nasci non fieri, quia non omnes ad argutè fingendum de rebus, æquè sunt apti atque proni.

§. IV.

Delicatas ejusmodi fabulas rerum Philosophicarum refertissimas à Poëtis absq; gravi consilio tractatas atque excultas, vix aliquis cordatiorum est qui asserit. Ut enim in omni actione Finis mo-
vet

vet Efficientē ad agendū, ita etiā Poētis certi tuere fines in excolendis fabulis; Elicimus itaq; & Finem cui & Finem cujus (sicut Metaphysici loqui amant) *Finis cui est homo quoad intellectum & voluntatem perficiendus, quatenus per naturæ lumen perfici possunt; Ante nominatus Excellentiss. D. Laurb, in Epit. Poët Lib. 1. C. 1. p. 14. Omnem finem & institutum implevisse Poëta non videbitur, imitatione Personarum & Actionum sola faciendo prudentiam. Voluntatem enim tantum prudentia perficit, sed intellectus quoque rerum naturalium aliarumque cognitione pascendus est, earum perfectiones excellentiasque imitando. Finis v. cujus est varius 1. Fabulæ sunt propter fines quasi contrarios, faciunt enim & ad Involucrum sive occultationem, & ad Illustrationem sive rationem docendi; Quantum ad Illustrationē pater homines non facile percipere conclusiones per rationis usum de universalibus deductas ut & alias ejusmodi subtilitates, nisi propius eæ ad sensū, per hujusmodi simulacra & exempla, dedu-*

ducantur. Ut vult Verulamius p. 46. De Aug. scientiarum. Individua cum sola sensum percellunt, & circo res universales propter faciliorem apprehensionem per fabulas tanquam vivis quibusdam coloribus atque pigmentis sistuntur spectandæ, & sic rerum licet universalium habentur ideæ vivæ ac individuales, & quasi ipsis, ut ita dicam, manibus apprehenduntur Fabulæ quædam etiam faciunt ad involucum, cum occulta & altiora dogmata à profanorum aspectu necesse erat subducere, *in hoc quidem Poëtæ omnes conveniunt, quod omnibus idem est scopus, & ad unum finem animum intendunt, ut homines meliores efficiant,* Nat. Comes Mythol. l. i. c. iv. non tamen è re est omnia occulta atque naturæ secreta propalare vulgariibus ingeniiis, quæ ipsis sæpè abuterentur, in suam ipsorum atque proximi perniciem. Satis ergo est, modo sciant sapientiores, & qui ex necessitate earum rerum tenentur didicisse naturam; Hac in parte fabularum & inven-

ventores & scriptores ipsam imitati sunt naturam. *Sciunt inquit Macrobius lib. 1. in somn: Scip. cap. 2. inimicam esse nature apertam nudamque expositionem sui: que sicut Vulgaribus hominum sensibus intellectum sui vario rerum tegmine operimentoque subtrahit, ita à prudentibus arcana sua voluit per fabulosa tractari.* Dicat quis nos hic à veritatis tramite aberrasse, dum finem fabularum posuimus Illustrationem & occultationem, cum tamen opposita non possint convenire uni subjecto; Res in vado est, modo veræ oppositionis leges serventur: *Opposita non possunt attribui eidem, secundum idem, ad idem & eodem tempore,* non enim dicimus scripta Poëtarum vel fabulas collectivè atque universaliter acceptas, facere ad illustrandum & occultandum, sed assertionem nostram volumus intellectam disjunctive vel in particulari, ita ut quædam fabulæ interserviant ad rei illustrationem, quædam verò ad occultationem; Observandæ etiam sunt reliquæ oppositionis leges, quod prænominati

fines

fines non sint secundum easdem fabulæ partes, nec eodem modo, nec eodem tempore. 2. *Finis cuius*, Fabularum sive Philosophiæ fabulosæ est cum perverlorum & immorigerorum reductio ad meliorem frugem, tum bonorum confirmatio recreatioque. Quantum ad prius; Experientia Optima rerum magistra sunt edocti poëtæ, cum plerisque mortalibus mirè esse comparatum, scilicet eos non solummodo veritatis sinceros confessores odio prosequi, juxta illud Ter: *Veritas odium parit*, sed etiam ipsissimam veritatem apertam oppugnare, nollentes ipsam amplecti; Velatam vero omnes cupidè affectant. Celeb: D. Laurb: in ante nominata Epit: Poët: lib. i. cap. i. p. 47. ait: *Dum Dialecticas Rhetoricæq; disputationes, vel non capiunt, Poëtica via sic occultè rapiuntur inducunturq; ut erudiantur, instigentur & acquiescant, quam ob causam B: Lutherus in præfatione ad fabulas Æsopicas, in hæc erumpit verba: Hoc tempore nullos libros (excepta scriptura Sacra) scirem meliores, & huic præ-*
fe-

ferendos in exprimenda veritate. Ita quidem se res habet cum in Philosophia morali, tum naturali, ut veritas odiosa res sit; Reperti sunt quondam non pauci, qui studium sapientiæ ac virtutis rebus ludicris postposuerunt, & adhuc hodie reperiuntur, Proh dolor! per plures ignavi & rei optimæ contemptores, quam ob causam Poëtæ utilitatis communis studiosissimi in id incubuerunt, ut homines se in meliorem frugem reciperent, quod alio modo effectui dare non potuerunt nisi sub larvis, ut sic dicam, occultè ipsam sapientiam ipsis propinarent & ingererent, non secus ac

*--- pueris absynthia tetra medentes,
 Cum dare conantur, prius oras pocula circum
 Contingunt mellis dulci flavoque liquore,
 Ut puerorum ætas improvida ludificetur
 Laborum tenus, interea perpotat amarum
 Absynthi laticem, deceptaque non capiatur,
 Sed potius tali factò recreata valescat,
 Sic Poëtæ veritatem, quam proba ingenia
 perpetim venantur, artificiose
 occultarunt ne illius osores eam primo*

intuitu persentiscerent; sed ignavi audacter imbibant, ut novitate atque insolentia rei in admirationem rapti, incipiant penitus in ipsa penetralia inspicere, ut eo pacto ex feris homines fiant. Erat enim per læpè admiratio causa indagandæ veritatis, unde ortū est Axioma Gnostologicum: *Ex admirari natura est philosophari. Sed dicat quis: nihil opus videtur Poëtarum inventis, ut iis homines ad studia humaniora alliciantur, cum à natura amore quodam cognoscendi flagrent.* Hoc concessio Disting. inter assensum firmum ac perfectum tali amori innato vel principio præbendum, & inter assensum debilem, qui ei præbetur, ut in pravis, indoctis ac plebejis, apud quos ne scintillula ista extingueretur & suffocaretur sed excitaretur, videndum erat. Sicut jam breviter demonstravimus Poëtas voluisse per fabulas pravis mederi ingeniis, ita brevissimè ostendemus, quantum ad posterius membrum secundi hujus *Finis* *ujus* Fabularum, nempe Poëtas etiam

bonorum informationi atq; recreationi operam dedisse. Cum enim sentirent, homines laboris avidos, quantumvis patientes, enervari tamen & corrumpi, nisi quis honesta aliqua recreatione huic malo occurrat, idcirco scripta sua acuta atque festiva evulgarunt, Quod Oratorum Princeps Cic. in orat: pro Arch: comprobat his verbis: *Quares à nobis Gracche, cur tantopere hoc homine Poëta delectamur? qui suppeditat nobis, ubi & animus ex hoc forensi strepitu reficiatur, & aures convicio defesse conquiescant.* Dicta de fine artificiolè in compendio proponit Horatius de arte poëtica:

*Aut prodesse volunt, aut delectare Poëta,
Aut simul & jucunda & idonea dicere vita.*

Et mox.

*Omne tulit punctum, qui miscuit utile dulci,
Lectorem delectando, pariterque monendo.*

3 *Finis cujus est, vitiorum moderata reprehensio in potentioribus.* Quid valeat ejusmodi velata reprehensio, putamus constare exemplo Prophetæ Nathan,

Rogem Davidem pulcherrimo apologo
 in ordinem reducentis. 2. Sam. 12. Deniq;
 4. *Finis cuius est* ingens subsidium memo-
 riæ, cui res difficiliore hoc tam amæno
 scriptoris genere fidelissimè commen-
 dari posse certum est Carmen enim illo
 sibi insito concentu, potentius allicit, &
 quo magis delectat, quod quidem ma-
 ximè facit, eo quoque tenacius hæret
 memoriæ. Certè carmina facilius me-
 moriæ mandantur, quam prosa: In o-
 mnibus his, nos fabulas à carminibus
 non sejungimus, sed potius conjūgimus.

§. V.

Ne autē vana atq; inania jactem⁹, nunc
 nobis probatio incumbit, Philotopiā
 sub antiquis fabulis latere, quod exemplis
 demonstrabimus, quæ quidem in magna
 copia posset adduci ē profundo Poëta-
 rum æquore, nos autem cum supellectilis
 nostræ curtæ bene simus gnari, ne plane
 in nervum erumpat, & ne intentio nostra
 irrita fiat, aliqua duntaxat in medium
 profereamus; ita etenim res fiet faci-
 lis

lis judicatu, quam acuta & nativa jucunditate utillissima sint scripta poëtica, quæ semper plus habent in recessu, quam quod prima fronte ostentant. Labet itaq; fabulam de Pane expendere, cujus ortus varius à variis traditur scriptoribus: Mercurii filium eum esse scribit Homerus; Darius v. Samius in libro de Agathocle scriptum reliquit, universos Procos cum Penelope, rem habuisse, è quorum promiscuo concubitu Pana communem filium natum esse. Quidam Jovis & Hybreos filium eum putarunt. Sorores ejus Parcæ sunt habitæ, quæ teste Orpheo in spelunca habitasse dicuntur, ita enim sonant ejus verba:

--- *Umbroso quæ habitatis in antro
Marmoreo, celeres hominumq; per arva volatis.*
Pan autem morabatur sub Dio. Quantū ad effigiem, pingitur cornibus in acutum surgentibus, & ad cælum usque protensis, corpore toto hirsutus & villosus; barba promissa, homo quoad superiora, sed in hircinos desinens pedes.

Hunc altera manu fistulam, altera baculum incurvum gestasse perhibent. Vestis induta ex pelle Pardalis confecta erat; Præterea Deus venatorum habitus, Deorum nuntius à Mercurio proximus, ut constat ex Homero in quodam Hymno. Proporro ipsi erat potestas immittendi terrores, præsertim inanes & superstitiosos, Panicos vocatos. Inter res ejus gestas memoratur, quod Typhonem Gigantem retibus implicuit. Fertur etiam Cererem degentem in latibulis, ob raptam Proserpinam, ab Omnibus Diis frustra quæsitam, à solo Pane inter venandum inventam, Iovique indicatam. Cum Apolline de victoria Musices contendente, Panas, Midas arbiter delectus, pronunciavit victorem, ob quod iudicium Midas à sinibus aures tulit, clam tamen. Lunam quoque in altas sylvas sevocavit Pan. Quidquid antiqui scriptores de Pane sunt fabulati, pluribus prosequitur Natalis Comes Mythol. lib. V, c. VI. quem

vi-

videfis. Nunc quid hoc sub tegmine antiquitus recubarit, perquirendum est. Pan primo quid sit, indicat ipsa Etymologia, uniuersum enim siue uniuersitatem Rerum repræsentat, ut ipse Orpheus Poëtarum antiquissimus exponit his versibus:

Πάντα καλῶ κρατερὸν γε θεόν, κόσμοιο τὸ σύμπαν,
 Οὐρανὸν ἠδὲ θάλασσαν, ἠδὲ χθόνα παμβασιλείαν,
 Καὶ πῦρ ἀθάνατον. Τάδε γὰρ μέλη ἐστὶ τὰ πανός.

*Pana uoco magnum, qui totum continet orbem;
 Qui mare, qui Cælū, qui terras frigidiferentes,
 Æternūq; ignem: hæc Panos sunt omnia membra.*

Panis licet origo varia sit, veras tamen & bonas ex se parit doctrinas: Pan, n. Mercurii filius significat uniuersi creationem esse à DEO, qui Uniuersæ Naturæ principium reclè dicitur. Mercurius namque dicebatur Deorum nuntius & verbum. Quis à cælesti doctrina imbutus ignorat verbo Domini cælos esse firmatos & spiritu oris ejus omnem exercitum eorum. Præterea ut dicit Nat:
 Co-

Corn: in Mythol: L. V. c. V. Ratio & sapi-
 entia divina voluntatis, appellatur Mercurius,
 unde patet, saniores Gentiles agnovisse
 hoc universum etiam quoad suum esse
 dependere ab ente quodam indepen-
 dente, quod sapientissime omnia pro-
 duxit, idcirco Pana Mercurii filium di-
 xerunt, id est, hoc universum per Dei sa-
 pientiam esse productum. Quod vero
 ex omnium Procorum congressu cum
 Penolope natus sit, id primo intuitu
 absolum quidem videtur, cum nullum
 animal de diversis maribus procreetur,
 tamen haud adeò difficile est, ex hoc
 malo emergere; Ut enim principia re-
 rum variè ab Autoribus proponuntur,
 ita de eisdem Procorum congressus va-
 rii exponuntur, sed ob brevitatem cui
 studemus, prætermisiss aliis, fabulam
 eorum sententiæ applicamus, qui Mate-
 riam principium passivum esse, & ad
 formas indifferentem introduxerunt;
 posuerunt enim Materiam tamquam
 publicam Meretricem, Formas vero
 tanquam Procos; & cum Panos ortus,
 ipsa

ipsa rerum primordia denotet, non in-
 competenter ipsa massa Chaotica indi-
 gitatur, ad quam DEUS O. M. singula-
 res adduxit Formas veluti Procos, ex
 quorum accessu productus est Pan. Qui
 vero Jovis & Hybreos sive Contumeliæ
 filium dixerunt: Credibile est ipsos a-
 liqua ratione inaudisse de Adami lapsu,
 quo sibi contumeliam attraxit, & pro-
 pterea meritò contumeliæ filius ab An-
 tiquis est dictus. Parcæ quæ sorores sunt
 creditæ, nihil nisi rerum fata & vicis-
 situdines sunt, quibus res creatæ sunt ob-
 noxiæ, cum ex ordine Naturæ, nil tam
 exiguum sit, quod sine causa fiat; & nihil
 tam magnum, ut non aliunde pende-
 at; Quia itaque res & earum eventus
 sororio quasi vinculo videntur jungi,
 Panos sorores Parcæ sunt dictæ. Quan-
 tum autem ad hoc, quod Parcæ sub
 specu subterraneo habitabant, Pan ve-
 ro sub Dio morabatur: Hoc invento in-
 sinuarunt Antiqui quod ipsa Natura sit
 spectabilis & aperta, at eventus & fata
 individuorum occulta, rapida & quasi

ex latibulis prorepentia. Pani cornua ingeniosè adeo sunt attributa, quæ in ima Parte vel in ipsa basi latiora erant, ad verticem v. acuta, figuramq; Pyramidis repræsentantia; Individua enim quæ rerum omnium sunt fundamenta & in quibus ultimam suam subsistentiam habent, innumera sunt, non quidem in se & sua natura, sed respectu nostri, ut non mirum sit, quod Panos cornua ab imo latiora sint picta, cum esse aliter non possit, quin individuorum in unum circulum collectio, adeo amplam atque magnam conficiat peripheriam; Mens autem humana semet applicans ad rerum considerationem, mox eas à statu singularitatis deducit in statum Universalem, ut tandem perveniat ad id quod est universalissimum; hoc est, individua contrahuntur in species, species in genera sub alterna, quæ tandem in id quod generalissimum & universalissimum est, contrahuntur vel deducuntur, quod quidem respectu Individuorum

instar apicis est. Hoc totum antiqui per cornua Panos significarunt, quæ paulatim coarctabantur, donec ad verticem plane acuta fierent. Præprimis elegans est, quod finxerint summitatem cornu ferire ipsum cælum. Saniores enim gentiles dum rerum accuratioribus speculationibus erant intenti, à sensibilibus & singularibus progredientes ad insensibilia & universalia, necessario sic in cognitionē Dei naturalem pervenerunt, non enim possibile erat eos ita ἀνοήτους fuisse ut non sentirent hoc universum, & quoad suam essentiam & subsistentiam dependere ab Ente quodam Independente, quam ob rem Cic. fateretur Lib. I. de Leg. dicens: *Nulla gens est, neque tam immansueta, neque tam fera, quæ non etsi ignoret, qualem Deum habere deceat, tamen habendum sciat,* & Apostolus in Epist. ad Rom. I. 20. dicit gentes non tantum habere notitiam DEI à consideratione Creaturarum, verum eas hanc propter notitiam coram Deo esse inexcusabiles, quod tamen Theologis relinquimus, ast quam speciosè Panos

nos cornua sint ficta antiquitus, jam omnes sentire arbitramur, nec non facilem illum transitum à summitate pyramidis ad divina. Ulterius corp⁹ depingitur hispidum, propter rerum radios, seu qualitates varias, quippe radii sunt tanquam rerum crines, sive villi: Omnia enim cum insitam suam vim exerunt, undique quasi radios diffundunt, ut evidenter patet in facultate visiva, ut Poëtæ aliter naturæ lineamenta effingere non potuerint. Sed barbæ illius promissæ fictio, minime vana est; cum corporum cœlestium vis in inferiora, certe sit magna, qua propter dicunt barbam Panis prominere; Cæterum quod Pan fuerit homo quoad superiora, sed in hircinos desinens pedes, atque sic extiterit biformis: id ad differentiam corporum superiorum & inferiorum designandum inventum est. Quoniam enim homo non tantum sua pulchritudine est notabilis, verum maximè ob imperium & Dominium in terram & terrena, quanquam imperium illud sit per lapsum proto-
 pla-

plastrosum debilitatum, merito ergo astra
 sive corpora cœlestia sub humana figura
 repræsentaverunt poëtæ, propter illam
 influentiam atque magnam vim, quam
 illa exlerere credebant in hæc subluna-
 ria, quæ rursum ob motus incompósitos,
 & naturã mutationi obnoxiam, bruti ani-
 malis figura contenta esse posse volebant.
 Caprini pedes Pani attribuuntur: dictum
 quidem est modo inferiorem partem Pa-
 nos, figura bruti corpora sublunaria re-
 præsentare, sed pedes silentio non sunt
 prætereundi, qui propterea caprini sunt
 ficti, quod è mistis plurima extrahantur
 effluvia, & exhalationes, quæ in aeris
 regione pensilia fiunt, sicut enim capra,
 animal valde scansorium est, colles &
 præcipitia petens, bubulcis adeò notum,
 ita ejus imitatores assidui sunt effluvia,
 quæ semper superiora petunt instar ca-
 prarum. Pan altera manu gestat fistulam,
 altera baculum superius curvum sive
 inflexum. Per fistulam significarunt re-
 rum concentum, i. e. Sympathiam & an-
 tipa-

ripathiam corporum naturalium. Baculus sive sceptrum indicium erat imperii; magna & admirabilis adeo est naturæ potestas, ut non facile eam quis comprehendere possit; Acutissima autem est allegoria, quod sceptrum illud à parte superiori fuerit incurvatum, quia omnia supremo rerum Moderatori D. O. M. obediunt, qui Rex Regum est & Dominus Dominantium, cuncta regens & disponens, & præterea providentiæ Divinæ opera in mundo fere per ambages & circuitus fiunt, ut aliud videatur ipsum principium promittere, aliud revera exitus atque finis exhibeat, sicut ingruente hyeme de plantis & herbis, nec non de multis aliis planè actum videtur, adveniente autem vere homines summa jucunditate perfunduntur, dum aspiciunt ipsas virescere atque è terra pullulare. Vestis Panos ex pelle pardalis fuisse fingitur; neminem enim latet, cœlum infinitis astris, maria insulis, terram montibus, sylvis variisque fluviis, nec non variorum
 ge-

generum floribus atque rosis, tanquam maculis multiplicibus distincta esse, imo una species quanquam individua habeat plurima, vix tamen invenies duo quæ exacte unius sunt formæ, ut etiam hanc ob causam amiculum Panis mereatur dici versicolor. Pardali, enim pellis est distincta maculis. Officium Panis vivo colore delineatur, quando Venatorum DEUS vocatur; Quippe tota natura in venatione constituta est; scientiæ & artes naturæ opera imitantes, suam exercent venationem; Regum & quorumlibet aliorum etiam privatorum hominum consultationes atque consilia propositos suos sectantur fines; Omnia Naturalia Corpora vel alimenta sua ut conserventur, vel voluptates & delicias suas ut perficiantur, venantur. Panem Deorum nuntium à Mercurio proximum esse, translatio ista divina est, cum post verbum DEI natura hæc, potentiæ & sapientiæ ebuccinator sit, ut itaque hoc vatum gentilium figmentum cum vate sacro, pulcre consentiat.

Plal.

Psal. 19. v. 2. Cœli enarrant gloriam
 DEI & opera manuum ejus annunciat
 firmamentum. Præterea fabulati sunt
 Pani competere potestatem immitten-
 di terrores, inanes & superstitiosos,
 quod quidem omnibus constare puta-
 mus, ut expositionem hac in parte su-
 pervacaneam fore existimemus, quam
 tamen paucissimis nos non piget per-
 sequi: Natura enim cuilibet animanti
φύλαξιν quandam implantavit, cum ad-
 juncta formidine, vitæ suæ conservatri-
 ce, sed hic natura in excessu peccare
 sæpe solet; præsertim humana; dum ad
 semet ipsam & res suas conservandas
 mediis non tantum vanis & inordina-
 tis, sed plane superstitiosis atque illicitis
 utitur: idque interdum nullo peri-
 culo imminente. Quod totum existen-
 tiam Panicorum terrorum convincit.
 Inter res gestas Panis memoratur, quod
 Typhonem Gignatem retribus implicu-
 erit, qui admirabili corporis magnitu-
 dine fuisse dicitur, quippe cum omni-
 um montium altior esset vertice vel

crure tenus: caput astra tangebatur; altera manus ad orientem, altera ad occidentem tendebatur. Quid hoc ipso intellexerint, diversæ reperiuntur sententiæ, manet tamen Panem vel Naturam omnes vastos & insolitos rerum tumores, corporum extuberantias ac insolentias reti inextricabili coercere & ambitu suo complecti; Quod Pan Cererem invenerit, cum ob raptam Proserpinam versaretur in latibulis: vix aliud significat, quam quod jactum semen, per Cererem indigatum, aliquot dies occultetur, antequam radices agat, ut Dea sua filia videatur esse spoliata: Pan autem, natura ipsa scilicet, quæ insita est in seminibus indicat filiam Proserpinam, id est, radices repertas; necessitate enim Naturæ & ob insitum calorem, herba in lucem erumpit; sic etiam multas alias res ad vitam utiles, sola natura reperit atque manifestat. Certamine illo de victoria Musices, quod inuit Pan cum Apolline, ejusque eventu, depingitur judicium hominis corruptum. Duplex enim apparet esse harmonia, altera

sapientiæ Divinæ, altera rationis humanæ. Homines læpiusculè Naturæ secreta & mundi administrationem, imò ipsa mysteria fidei rimantes: multa ineptè exponunt, juxta præconceptas suas opiniones, esse non putant quicquid oculis non videtur, & quod cum eorum intellectu non concordat, imaginantur nec ipsam omniscientiam Divinam secum posse conciliare, quasi eorum intellectus judicium fuisset norma rerum creandarum atque providentiæ Divinæ: Quam impudentiam atque inscitiam meritò Poëtæ asininis auribus, quæ signa erant stupiditatis, insignierunt. Nec mirum Pana sevocasse Lunam in altas sylvas, quia materiam rerum omnium Naturalium, astrorum beneficio & Lunæ informari, credebant veterum plurimi, crescente luna crescere humores in corp. decrescere vero decrescere, quapropter Luna humorum Mater est dicta, rebus naturalibus non parum interserviens: Lunam, quæ eadem est ac Lucina, antiqui parturientibus præesse si-

bi persvaserunt, propterea & ipsam sollicitarunt, ut in partu succurreret, sic Glycerium apud Ter. Juno Lucina, fer opem, serua me obsecro. Tantum de Pane, & si necessarium duceremus, ad intelligendum Poëtarum modum tradendi, allegare plures fabulas, eorumque significata indicare, omnino adducemus fabulam aliquam, cum de Echi- cis, tum de rebus politicis, ut exinde constaret, quam subtili jucunditate, & jucunda subtilitate de iisdem fabulantur Poëtæ; Sed cum ea quæ de Pane sunt adducta, arbitramur satisfacere præsentis proposito, scilicet exinde posse colligi, Poëtas docuisse philosophiam per fabulas, propterea plures non allegamus.

§ VI.

Siquidem paucis est ostensum hæc- nus Poëtas certo consilio propagasse Philosophiam per fabulas, nunc peruenimus ad id, quod primum nobis erat in intentione, ut scilicet breviter detegamus, quam importuni sint plurimi incastigandis atque reprehendendis Poë-

tis, salva tamen manente autoritate,
 contradicentium, nihil enim cujusquam
 nomini volumus detractum. Sunt au-
 tem adversarii duum generum, quo-
 rum alii studio adversandi ad certa-
 men adferunt rationis nihil, dirarum
 verò & calumniarum plurimum. Hos
 sibi sapere solis, non gravatim feremus;
 neque enim verbum cum illis commu-
 tabimus. Sunt alii quos studium veri-
 tatis & pietatis Zelus, interdum forte
 malè tempestivus, adversus Poëtas ar-
 mant: cum his contendere gloriosius
 ducimus, illo tamen animo, ut si ratio-
 num pondere vincamur, non difficulter
 in illorum castra transeamus. Quid dicunt
 turpium potius lenonum quam probor-
 um hominum esse studium poëticum
 ipsosque Poëtas, mendaces atque scan-
 dalosos, & scripta eorum nihil esse aliud
 nisi meras aniles nugas; illi ipsi ex hacten-
 us dictis responsa nostra eruant; addi-
 mus tamen debere distingui inter quæ-
 dam Poëtarum scripta; & inter omnia.
 Nos enim, nisi optima non laudam⁹, quæ
 ple-

plerumque non sunt sumenda κατὰ τὸ
 φητόν, sed secundum sensum subintelle-
 ctum, & sic ipsam Philosophiam nobis
 exhibent, in qua turpes lenones & alii
 improbi non occupantur; liberaliū enim
 ingeniorum ea sola est cura. Quam re-
 ctè Poëtæ mendaces dicuntur mox o-
 stendemus. Scandala autem, quorum
 accusantur, non tam dari ab illis quam
 accipi ab aliis suspicamur. Videtur nobis
 Epictetus ad hanc rem non incommo-
 de dixisse, unamquamque rem habere
 suam anam, qua illam apprehendet,
 qui feliciter ea voluerit uti. Ex thy-
 mo, amara herba, mel fugit apis, hiru-
 do contra ex sano corpore vitiosum
 sanguinem. Quid mirum echinos sem-
 per spinis involvi? hasce enim ex se i-
 psis gignunt. Qui sine scandalo poëtas
 non possunt legere, ab illorum lectio-
 ne, nostra quidem sententia, poterunt
 temperare; sunt tamen homines ex-
 tra controversiam magni, quos non
 puduit legisse. An quis audeat etiam
 vitio vertere S. Apostolo Paulo, quod
 gen-

gentiles Poëtas lectitarit, & per inspirationem Divinam quædam etiam loca Scripturæ Sacræ inleverit? Nec est ut tantopere sibi gratulentur Poëtarum olores, exinde quod Poëtæ mendaces, dicantur Aristoteli, existimanti Multa mentiri Poëtas. ejus verba sunt lib: 1. Met. c. 2. κατὰ τὴν περιουσίαν πολλὰ ψευδοῦσθαι αἰοῦσιν, nimirum manifestum est ex aliis Aristotelis scriptis, per illam vocem non significari mendacia quæ siverunt adornari in fraudem aliorum, sed quando industrio imitamine res quæ non sunt ita exprimuntur, ac si verè existerint, quo respectu etiam Homerum laudat, quod docuerit mentiri prout decet. Ejus verba sunt: δεδίδαχε δὲ μάλιστα Ὅμηρος καὶ τὰς ἄλλας ψευδῆ λέγειν ὡς δεῖ. Existimatis ne hunc tantum Philosophum, tam acrem virtutum Præconem ac vitiorum Profligatorem, Poëtarum mendacium commendasse si fuisset vitiosum? Ut nihil nunc dicamus de libro eruditissimo, quem de Poëtica reliquit, in cujus postremis duo-

duobus capitibus poëtarum vindicias in se sulcipit & mascula ratione adversarios confundit. Legat cui volupe fuerit. Ex hoc Philosopho hausisse existimo Horatium ea quæ in arte laudat, scilicet

- - - *Ita mentitur, sic veris falsa remiscet,
Primo ne medium, medio ne discrepet imum.*

Possemus etiam addere, quod veritas sit triplex, Logica, Metaphysica & Ethica, sic potest quis esse verax Ethice, quamvis duobus prioribus modis, logice scil. & Metaphysice mendacium vel si mavis falsum dicat; requiritur enim ad veritatem Logicam conformitas conceptuum cum re, ad Metaphysicam vero rei cum intellectu Divino conformitas, sicut possibile non est ut omnia possint omnes, ita Poëtæ licet sagacissimi, non potuerunt in omnibus rebus veritatem, puta Logicam & Metaphysicam, quæ in profundo latet puteo, assequi propter intellectus imbecilitatem, non E. propterea sunt vituperandi, cum sit communis lora mor-

talium, ut in luce rerum tenui caligent, in medio
 diocri cœcutiant, in maxima insaniant, ut in-
 quit ille. Recordentur malevolentes se
 quoque esse homines, & humanis infir-
 mitatibus obnoxios, etiam in istoc suo
 iudicio. Nec hoc illis favebit, quod apud
 Poëtas verba cum corde non videan-
 tur consentire, ut vel sic omnino pos-
 sint dici Ethice mendaces. Poëtis e-
 nim omnino verborum cum corde e-
 rat conformitas, scopusque fuit elegan-
 tibus in volutam fasciis veritatem insinu-
 are, adeoque sic delectando prodesse.
 Ad mendacium autem proprie sic di-
 ctum requiritur, ut sit prolatum duplici
 corde, hoc est, ut certò constet ipsi fal-
 sum esse quod ut verum profert, &
 quidem animo fallendi, ac nocendi pro-
 ximo; subsumptionem de Poëtis pro-
 batam nec audivimus nec vidimus.
 Sed effatum jam resumamus; *Multa men-
 tiuntur Poëte*, Ergo etiam multa vera
 & utilia dicunt, quoniam non omnia
 mentiuntur, annuente hoc nobis Philo-
 sopho. Ulterius dicunt Poëtarum lectio-
 nem

nē esse periculi plenam, cum non tantum
 plurium Deorum faciant mentionem,
 sed etiam talia comminiscantur de Nu-
 mine, quæ coram juventute recensere ve-
 taret pudor; Nos dicimus: Poëtas diver-
 so tempore propter diversum finem
 legi; pueris enim proponuntur, ut ex il-
 lis linguam forment, prudentiumque
 Magistrorum est cavere ne illa ætas quid
 vitii trahat; cum v. perveniunt ad æta-
 tem maturiorem, nucem frangunt, &
 ipsum nucleum depromunt; si enim oc-
 currit aliquid eximii in natura mox in
 suos recondunt usus, si obveniat quid, in-
 terviens vitæ instituendæ, sibi dictum pu-
 tant, si a. occurrat locus obscurior, vel
 minus utilis, placidè & humaniter absq;
 aliorum obtreccatione prætereunt, atque
 ita bonum à malo prudenter discrimi-
 nantes, sibi facile à scandalo cavent. Di-
 cunt porro, poetas non tantum credidisse
 se multos esse Deos, sed etiam plane im-
 pia esse commentos de supremo Numi-
 ne Quo ad partem priorem, dicimus

petitionem esse principii, non enim dum probarunt Poetas credidisse multos esse Deos, & quamvis Deorum plurimorum mentionē fecerint, non tamen statim sequitur tot fuisse ab ipsis creditos, cum omnes qui supra vulgus sapiunt, facile colligant juxta rationis dictamen, unum & non plures esse Deos, nam si plures sint Dii, hunc ipsum numerum ob singulorum imbecilitatem esse necesse est, nempe cum unus par non sit ad sustentandum, regendum atque gubernandum omnia, impotenti superpetias ferunt alii. Isti si sunt imbecilli, quo pacto sunt Dii appellandi? fient enim eò pacto supplices potentiori, & aliquando deficient, quorum utrumque cum miserum sit, Dei naturæ qui convenire poterit? Præterea Poetæ cum in contemplatione hujus universi fuerint constituti, non potuerunt non sentire hoc ipsum dependere ab Ente quodam independente, quod est Ens perfectissimum, optimum & potentissimum, Deus benedictus in secula, qui si habuerit

erit alios æquales, vel etiam adjuutores, perfectissimus, optimus & potentissimus non est; Implicat enim in terminis. E. Poetæ quomodo potuerint credere multos esse Deos? At urgent, Scripta eorum aliud loqui, ubi nomina Deorum plurimorum passim occurrunt: Fatemur hoc quidem verum esse, exinde tamen nihil possunt evincere, etiam sacra scriptura refert plurima Idola an E. S. scriptores fuerunt Idololatræ? consequentia ea est nulla. Vel ut inquit Nat: Comes Mytol: lib: 1. c. 11. *Cum turbae foeminarum & imperita multitudini religio & Deorum metus, & fides, & probitas, & temperantia esset in animis inferenda, qui neque Dei naturam intelligerent, neque integritatem rapinae ac libidini sine aliquo Deorum metu anteponebant, non solum fabulose de Diis narrationes à sapientibus fuerunt excogitatae, sed etiam fabulose imagines, & picture monstris prope similes introductæ. Sic fulmina Jovi tributa sunt, tridens Neptuno, Sagitte Cupidini, fax Vulcano, ac varia terrorum instrumenta Diis*

ceteris: Hæc ille. Formidine namque pœnarum homines rudes honestè instituerunt vitam, scil. si quis mali aliquid admitteret, arbitrabantur impossibile esse, illum ipsum fore inultum in tanta Deorum multitudine, hos itaque vulgi Deos Poetæ memorant, non credunt, sed duntaxat sub ipsorum nominibus pleraque sua dogmata Philosophica proponunt, nam fabulæ quæ de Diis sunt, semper in se aliquid philosophici habent reconditum. Quod vero objiciunt Poetas multa impia fuisse commentos de Deo; Audiamus super hac re verba Macrobi, hominis Ethnici sed sapientis. Habentur illa lib. 1. in somnium Sip. Cap. 2. *Sed his, inquit (de fabulis loquitur) vitæ solent cum vel de anima, vel de aereis, vel de æthereis potestatibus, vel de ceteris Diis loquuntur. Cæterum, cum ad summum & principem omnium Deum, qui apud grecos τὸ ἀγαθόν, qui πᾶσι τὸν ἄλφον nuncupatur, tractatus se audeat attollere: vel ad mentem quam greci ὕψυ appellunt, originales rerum species, quæ idéæ*

dicta sunt, continentur, ex summo natura & profecta Deo: cum de his, inquam loquuntur, summo Deo & mente, nihil fabulosum penitus attingunt. sed si quid de his assignare conantur, quae non sermonem tantummodo, sed cognitionem quoque humanam superant, ad similitudines & exempla confugiunt. Et mox, ideo & nullum ei simulacrum, cum Diis aliis constitueretur, finxit antiquitas: quia summus Deus, nataque ex eo mens, sicut ultra animam, ita supra naturam sunt, quoniam nihil fas est de fabulis pervenire. Fabulae itaque dextrè sunt exponendae, secundum mentem ipsorum Autorum, atque si mens & intentio Lectores lateat, maledicere tamen quiescant, nimia enim est protervia si non stultitia, de re non intellecta sinistra ferre iudicia. Poetae puri sunt, modo ne lectores animum afferant impurum. Est & alia obiectio vetus contra Poesin, quod plato voluerit illam esse sua rep. exterminatam. Rationes platonis adhibentur, contra Tragœdiam praecipue, quod per illam excitentur affectus quos Academici non minus quam Stoici à sapiente

voluerunt remotissimos. Aristoteles
 opposuit se magistro, docuitque Tragediam
 vel eo nomine maxime retinendam
 quia purgaret affectus. In conciliandis
 tantorum Philosophorum sententiis nullus
 nobis relictus fuisset labor si, aut
 superessent, aut expedire potuisset
 Aristoteles quæ promisit ultimo capite
 politicorum; verum enim vero cum aut
 mors conatus ejus præceperit, aut
 injuria temporis, si quæ sunt scripta,
 nobis inviderit, paucissimis pro modulo
 nostri ingenii divinabimur conciliandi
 rationem. Diversam à Stoicis Academicisq;
 sententiam de affectibus fovebat Aristoteles:
 esse purgandos dicebant omnes, de modo
 non conveniebant; Stoici volebant
 eradicandos penitusque ex animâ
 averruncandos, quod nisi cum vitæ
 dispendio fieri non posse deprehendit
 Aristoteles. imo affectus moderatos
 esse & utiles & necessarios, nec vitium
 esse nisi in excessu, quem hic voluit
 sublatum, eique fini Tragediam putavit
 aptissimam. Ciet enim

illa

illa affectus quando exhibet aliorum nostri similibus mala, in quæ per errores non voluntarios incurrerunt; purgat autem dum reddit illa nobis familiaria, docet enim talia non nimium expavescere, nec nimium moveri si quando etiam nobis obvenerint. Sane Marcus Aureus Imperator, quantumvis stoicus, meditationum suarum lib. II. art. 6. non obscure idem innuit in hunc maxime modum locutus. Introductæ primùm Tragœdiæ sunt ut monerentur homines eorum quæ in vita accidunt, tanquam si necessario fuerint eventura, discerentque æquo animo ferre si in magno hoc mundi theatro acciderint, quæ eos oblectarunt in scenâ. vides enim talẽ esse omnium rerum catastrophẽ, nec malis suis idcirco liberari, qui in theatro, Ocytheron, clamant. Est igitur Tragœdiæ hic primus effectus quod terror & misericordia, affectus in Tragœdia dominantes, purgantur per se ipsos. scilicet cum nemo sit miser nisi comparatus, ceu loquitur autor Troadis, quocunque

sta-

statu fuerimus, facile nostra mala vi-
 lescent & fient toleranda magis si com-
 parentur cum Oedipo aliquo, aut Phi-
 loctete aut Oreste, consequens autem
 est, quod Tragœdia terrori ac miseri-
 cordiæ medendo etiam purget reliquos
 omnes affectus, qui in tales miseras
 nos potuerunt præcipitare: errores e-
 nim qui miseris istis tot tantaque mala
 excitant, cum in scena monstrantur,
 reddunt spectatorem prudentiorem ca-
 ventemque, ne quando & ille in eos-
 dem incidat, aut affectum patiatur in-
 domitum, cui obsequendo tales illi fa-
 cti sunt, sic fore arbitror neminem, qui
 lecto aut viso Sophoclis œdipo, temeri-
 tatem suam cæcamque curiositatem
 non castiget. Hisce benè perpensis
 existimo non firmiori ratione Plato-
 nem Tragœdiam suâ rep. exclusisse,
 quam extirpari possunt ex homine af-
 fectus. Fatemur tamen summa diffi-
 cultate non carere, justam Poëtarum in-
 terpretationem reperire, postquam a-
 pertior ratio philosophandi est intro-
 du-

ducta. Exolescente enim in animis mortalium prioris temporis occulta consuetudine, certè non potuerunt scripta Poetarum amplius pari cum successu legi vel intelligi, & instar antiquatissimi numismatis, cæperunt contemni. Repererunt tamen utraque suos æstimatores licet paucos, qui situm absterferunt & auctiori gratiæ asseruerunt. Non E. licet colligere, hic vel ille fabulas non intelligit, E. meræ nugæ sunt, mendacia sunt, scripta scandalosa sunt. *A nostra enim ignorantia ad rei negationem non valet consequentia.* Sed ne discursu atque exercitio hoc nostro inerudito, cui nauseam moveamus, præcipue iis qui nihil, nisi quod bene politum, excultum adeoque masculum fuerit, ferre non possunt; Ideo in portum navigaturi, vela contrahimus.

*Gloria sit Patri, sit Nato gloria Sancto,
Gloria Spiritui, Triadi sit gloria Sacra.*

Juveni

*Liberali doctrina, nec non studiis virtu-
tum insigni*

DN. GABRIELI Haartman/
Regiæ Academiæ ad aurâ civi Ingenuo,
Philosophiam Fabularem doctè defensanti,
Fratri suo honorando feliciter congratu-
lari voluit.

O Studiosi
Mente serenâ
Plausibus imis,
Carmina mecum
Laudite festa;
Vos simul ipsos
Tradite musis,
Riteque totis
Viribus isdem
Invigilate.
Hoc deest omnes
Castalios, cum
Commoda multa
Publica secum,
Atque suorum
Attulerint hæc,
Cumque juventam
Sunt alicurâ
Tum seniumque.
Quod magis est nunc
Exhilarabunt,

Concipientque
Gaudia multa
Inter amicos.
Pluribus Auditor
Eximius nunc
Frater Amandus
Sensit hoc ipse.
Scilicet hic cum
Fabula vera,
Gloria vatam
Vindiciæque
Cernier hic sint.
Gratulor ergo
Immerito non
Te coluisse
Omne fausto,
Palladis artes,
Jam bene coeptis
Mox colophonem
Addere pergas!

JACOB. Haartman.

Virum Juvenem, doctrinâ & morum e-
legantiâ conspicuum, Fratrem suum
perdilectum.

Gnavus ad ingenuas animus, satis is quoq;
pronus
Artes, quas quidam Palladis esse putant
Blandiloquus monstrat specimen dū rite tuetur
Rarā materiam, Præsida sub celebri.
In mundo hoc etenim quisquis nil nobile gessit,
Et nolens chartas vertere Apollineas,
Laudibus ornatur nullis; Nā indigno honore, &
Haud Musis gratus permanet atque jacet.
At frater carus noster jam jugiter ipse
Aonius Musis, invigilare studet.
Recte ideo reputo præstanti nomine dignum,
Tantis hic curis affici quodque velit
Magnus propterea Dominus tua cœpta secūdet,
Ausibus et jubeat prospera fata fore,
Nominis in laudem memorati existere possis,
Nam Jannes Haartman sic docet ex animo

